DE HISTORIA LIBRI DVO.

IN QVORVM PRIMO MODVS
Versandi in Historijs dilucide aperitur.

In secundo ad omnia Historiarum genera conscribenda præcepta compilantur.

Auctore
THOMA BONIO.
Lucensi Ciue: Academico Romano: Academiæ Ciuium Venetorum Rectore: & Sacræ Theologiæ Doctore.

Ad perillustrem, & admodum venerabilem Petrum Puccinium, Patritium Lucensem, & Cathedralis Ecclesiæ Canonicum dignissimum.

Superiorum permissu, Cum Priuilegijs.



VENETIIS, M. DC VII.
Apud Io. Baptistam Ciottum.



PERILLVSTRI, ET ADMODVM VENERABILI PETRO PVCCINIO, PATRITIO LVCENSI,

Et Cathedralis Ecclesiæ Canonico dignissimo.

THOMAS BONIVS.

S. P. D.



T Tuam in me beneuolentiam apud Posteros, quam tum mutua consuetudine, tum mutuis officijs iampridem mihi conciliaram; non intestatam omnino relinquerem; neque collectam gratiam ex animi tui ingenuitate, atque amplitudine, licet procul à Patria,



profundere viderer; neque enim te cariorem, neque magis familiarem, cui mea anteacta vita vna cum laboribus, & ærumnis, quarum multitudine aduersis rebus ferme succumbere conabar; fuerit notior; quemquam in ea Ciuitate habui: propterea volui, vt nostræ priscæ consuetudinis, & antiquæ amicitiæ futuris temporibus aliqua saltem monumenta apparerent. Quare inter cetera opera, quæ superioribus mensibus tenuitate ingenij mei composui; Historiæ Libros duos, quorum primum de modo versandi in Historijs; & alterum de Præceptis ad quodcunque Historiarum genus conscribendum obseruabis; curaui, vt summa castigatione mandarentur typis; eosque nomini tuo amplissimo deferendos, dedicandosque censui; quamobrem, dum tibi vacabit, licebit per otium hisce meis perexiguis lucubrationibus te ipsum oblectare; non quòd his indigeas, qui vir sapientissimus es, & maxime versatus in quouis studiorum genere; verum, quòd

dele-

delectet aliquando animum ea breui comprehensione relegere, quæ alias longa lectione sibi paruerit; Id igitur boni, æquique consulas. Vale.

Datum Venetijs, Idibus Decembris, M. DC VII.

AD LECTORES.


Voniam sæpe contingit, vt homines grauissimas, maximasque res vel insulse, vel intempestiue, vel perturbate, vel ignaue, & oscitanter aggrediantur; proindeque nihil in eis proficiant; imo operam, & oleum perdant; &, quod non pauci est faciẽdum in rebus humanis, nihil aliud sibi, nisi probrum, & ignominiã apud alios suis impensis parant; quod quidem peccatum cum in rebus alijs, tum in disciplinis, quas summis laboribus, & vigilijs vix tandem nobis comparamus; grauius existimandum est. Quare, vt aliqua in re Historiarum cultores iuuarem; elaboraui, vt ad studium huiusmodi laboriosum, atque perdifficile, quam facile fieri posset, quibusdam rationibus viam tum magis explicatam, tum magis breuem ster

nerem; & illis etiam, qui in huiusmodi genere componendo versari affectarent, præcepta quædam vere non sper. nenda, si optime animaduertantur; clare traderem. Quare quisquis fuerit huius generis studiorum fautor, hanc opellam in sui vtilitatem euoluat, & sæpius tractet; expectabit præterea paucis abhinc diebus Libros itidem duos De Poetica Facultate. Valete.

TABVLA MATERIERVM,

Quæ in hoc Opere continentur.



LIBER PRIMVS.

LIBER SECVNDVS.



COPIA.

GLi Eccellentissimi Signori Capi dell'Illustriss. Conseglio di X. infrascritti, hauuta fede dalli Signori Riformatori del Studio di Padoua per relatione delli doi à ciò deputati, cioè, del Reuerendo Padre inquisitore, e dal Circ. Secretario del Senato Zuanne Marauegia con giuramento che nel libro intitolato De Poetica facultate auttore Thoma Bonio Lucensi Ciue, & parimente in quello de Historia del medesimo auttore non si troua cosa contra le leggi, & sono degni di stampa, concedono licentia, che possono essere stampati in questa Città.

Data die 20. Nouembris 1607.

D. Zuanne Corner
D. Hieronimo Capello
D. Piero Morosini.
} Capi dell'Iustriss. Cōseglio di X.

Illustrissimi Cons. X. Secretarius.
Leonardus Otthobonus.

1607. à 24. Nouembrio, Registrato nell'Officio Cont. la Biastema à carte 182. tergo.

Gio. Battista Breatto Coad.


DE DIGNITATE HISTORIAE, LIBER PRIMVS.

Caput Primum.

HOMO, *Animal egregium, ratione præditum, admirandum ingenio, arte singulare, animi viribus fortissimum, & omni ex parte, si studiosè viuat, gloriosum; multis quidem compelli solet animi cupiditatibus, quippe qui ad varia studia, atque opera ex ingenio excitetur; at verò, si diligentius eius animi latebras irrepserimus; videbimus profectò nulla maiori cupiditate ferri, quam vt semper inter mortales aliqua saltē gloriola viuat. Non dici sanè potest, quàm ingenti immortalitatis desiderio flagret, atque in omne opus rapiatur; quisq. nostrum idem in nobismet ipsis & experimur, & sentimus; hinc grandia opera aggredi audemus; facinora grauia, atq; præclara omni conatu tentamus; facta fortia in Bellis prosequimur; gesta magnorũ Ducum imitanda nobis proponimus; longissimas noctes vigiles transimus; frequentes lucubrationes in peruestiganda rerũ veritate habemus; in laboribus summis libenter versamur, in laboriosis oblectatione quadam mirifica detinemur, &, ne plura sequar, etiam Reges, et summos Principes summis & animi, & cor-*

ad senectutem magnos edoces labores ad immortalitatem. Quid igitur fuerit dignitatis de Historia? Historia ipsa est, quę omnes labores suo sinu seruat, singula facta in omne tempus protendit, omnia facinora, vel vitanda, vel sequenda ex omni antiquitate in hominũ beneficium custodit; Rès gestas per omnia secula Ducum, Regũ, Principum, Heroum, Mulierũq. immortalitati donat; Monarchias Aegyptiorũ, Persarum, Græcorum, Romanorũ, & aliorum notat, demonstratq; Regimina Rerumpublicarum Atheniensium, Thebanorũ, Carthaginensium, & aliorum consignatas litteris cõplectitur; & tandem Prouinciarum, Ciuitatum, Regnorũ tùm leges, tum mores, tùm facta, tùm consilia, tùm dicta, tùmq. alia accidẽtia, et rerum permutationes signat, et aperit; nullam antiquitatem fugit Historia, omnia temporis momenta, omnia secula, omnes annos, omnia gesta Imperatorũ, Regum, Ducum, Principum, Mulierum, & Priuatorum hominum ex arte, & veritate prosequendo fidelissimè præseruat. Mirifica est igitur Historiæ *dignitas, quæ tanta iam enarrata immortalitate præmunit; sed iam reliqua prosequamur.*

De necessitate, atque vtilitate Historiæ. Cap. I I.



Væ necessaria esse solent vel ad viuendum, vel ad bene se habendum, vel ad præseruandum, conseruandum, tuendumq. vel ad perficiendũ, vel tandem ad ornandum, collustrandũq. magno in prætio habentur, et haberi debent; negligi namq. nequaquã poßunt, nisi à stultissimis, atque pro-

priæ

priæ salutis contemptoribus. At vero inter cætera, quæ magno præsidio esse solẽt generi humano tàm in secunda, quàm in aduersa fortuna: video sanè Historiam esse; quomodo.n. virtutis exempla, documenta fortitudinis, sapientiæ præcepta, prudentiæ vestigia, morum disciplinam, iustitiæ leges, prudentum respõsa, proborum hominum integritatem, optimarum mulierum castimoniam, & Principum magnanimorum iusta regimina melius ediscere possumus, quam ex antiqua Historiarum *lectione ex vetustissima exẽplorum memoria quam longissime repetita? Ex Historia discunt Populi, discunt Reges, discunt Principes quicumque, discunt tandem priuati homines, et vtriusq. sexus, atque ordinis: Ex ea sua habent documẽta Imperatores: sua depromunt magisteria optimi Duces: sua colligunt gubernacula Respublicæ: sua percipiũt munera parentes: sua deducunt monita filij: sua deprehendunt imperia viri: sua intelligunt officia Vxores: sua intuentur facta iuuenes: sua inspectant gesta Senes; & sua perlegunt singuli parata exẽpla; si bonis artibus oblectaris, habes bonorũ auctorum insignem multitudinẽ, euoluis Oratorum, Poetarum, Geometrarum, Arithmeticorum, Philosophorũq. vitas disertissimè commendatas litteris; si in re bellica te ipsum occupatũ habes, clarissimè in Historia Bella grandia, diuturna, maritima, terrestria apud omnes nationes à præclarissimis Ducibus gesta intueris; si Reipublicæ gubernacula tenes, præsto tibi sunt iusta Principum Regimina, si vitam ducis familiarem in Vrbe Ciuium crebra exempla ad honestè, sancteq. viuendũ, ex sententia perleges; si, quæ sit rerum vicissitudo, & humanarum rerum perturbatio, & anceps fortu-*

na

nia, cognoſcere cupis; nuſquam melius, quam in Hiſto*ria dignoſcere potes; ſi frequentia vis habere in ſingulis rebus experimenta, nec ſatis vitæ ad id conſequendũ ſuppeditatur, vnde melius ea haurire vales, quã ex factis, geſtiſque Antiquorum, ac ex innumeris euentibus, qui altius repetuntur ex Hiſtoria? lege Diodorũ obſerua Polybium, euolue Liuium, perlege Appianũ, excole Corneliũ tacitum, frequenta Valerium maximũ, & expende, ſi qui ſunt antiquiores, tum ex latinis, tumque ex Grẹcis; et colliges certè humanæ vitæ optimam diſciplinam ex* Hiſtoria*, in qua, veluti in Theſauro ampliſſimo recõduntur, omnia parata, atque opportuna ad bene, honeſteq. viuendum, ad effugiendum vitia, atque ad proſequendum virtutes. Videas igitur, quantæ neceſſitatis ſit Hiſtoria, quantẹq. vtilitatis ſit Theſaurus. Neceſſaria igitur Hiſtoria eſt ſingulis hominum generibus, ſingulis bonarum artium cultoribus, & ſingulis bene ſibi conſulentibus in omne tempus. At verò vtilitatès eius, & ingentes, & innumeræ ſunt, quæ ex iam dictis facile deduci poſſunt. Sint igitur hæc pauca ſatis de Hiſtoriæ neceſſitate, atque vtilitate.*

De Hiſtoriæ iucunditate. Cap. III.



Væ homines proſequuntur ſtudia, niſi ea aliqua fuerint adſperſa iucunditate; in illis perlegendis, tractandis: eſt neceſſe, vt animus in obeundis laboribus hæreat, deficiat, & mærore, triſtitiaq. plenus ab illis abhorreat. Quid laudis igitur fuerit ſatis ad cõmendandas Hiſtorias, quarum facultas mirifica abũdat oblectatione? nullum ſanè ſtudium delectabilius, iucun-

cundiusq. haberi potest, quam Historiarum certa lectitatio; nã quid iucunditatis animus noster persentit, dum quosdã homines abiectæ sortis sapientiæ studio ad summa conscendisse imperia animaduertit? Cõtràue, dum magnos Principes, atque Reges Imperio nimium turgidos, in superbiam, atque in apertissimã Tyrannidem mutatos, iusto Dei iudicio de proprio Throno deturbatos agnoscit? Qua delectatione mens nostra perfunditur, dum inter legendum varia Bellorũ genera percipit, ab hostibus paratas insidias, easq. fortissimos Duces noua calliditate subterfugisse? Et cuius fuerit certa de rebus desperatio, eiusdẽ fuerit tandem fęlix victoria? qua animi iucunditate detinemur, dum gesta fortia, dum mirifica opera, dum præclara facta, dum prudentum consilia, dũ sapientum responsa, dum sententias graues, dũ orationes moratas, dum placationes iratorũ hominum, dum mulieres viriliter pugnãtes, dum per duelliones cedentes, dũ Bellorum exitus, dum temporum vicissitudines, dum rerum permutationes, dũ Regnorum translationes, dũ monarchiarũ fines, dum Ciuitatum origines, dũ earundem extinctiones, dum omniũ rerum mutationes, nes, & tandem dum uaria instituta, uarios mores, varias consuetudines, atq; varias leges in Historia apud varias gentes fuisse, et esse obseruamus? hinc animos lectorum Poetæ delectant; ab Historia enim sua desumunt argumenta præcipua; Grammatici non rarò vocum interpretationes aßumentes ob Historiæ iucunditatem in mora iucũda auditores detinẽt; Philosophi, qui in moribus uersantur, ex Historia sua desumunt exempla, quibus homines iucundè afficiuntur ad uirtutes prosequendas, vitiaq; vitanda:

Orato-

Oratores mirifica quadam delectatione auditorum animos inter orandum afficiunt; dum res gestas ex Historia petitas ad magis persuadendum accommodant: Et tandem rerum consultores, imò verò quicunque homines, vel de plebe inter loquendum, dum aliqua vtantur Historia, sermonem ipsum per iucundum omnibus astantibus reddunt. Mirifica igitur esse oblectatio cernitur in perlegendis Historijs, à quibus artifices abhorrentes, quicunque illi fuerint, suum præstare munus cum iucunditate vix poterunt.

De Historiæ caussis: efficiente, materia, forma: & fine.

Cap. IV.

ARs quęuis certas habet caussas, à quibus pendeat, et quibus amotis nulla foret, paucis pro pterea explicare opus erit, quæ Historiæ sint caußę.

Prima, igitur esse potest efficiens, à qua ortum, & originem suam trahit, cuius primus inuentor; vt notat Plinius, fuit antiquissimus Cadmus; estque proinde Historiæ caussa efficiens, est homo ingeniosus, solers, multa memoria, veritatis tantum studiosus, qui non ira, non odio, non assentatione, & non aliqua animi perturbatione; sed syncero animo procul ab omni ostentationis fuco res, vt gestæ sunt, ad vere scribendum accedit; eo consilio ad id operis adductus, vt prodeße poßit generi humano, sapientum vocibus, & virtutum egregiarum exemplis.

Materia est secunda caussa, & est res gesta, quam sibi proponit scribendam Historicus; veluti Bellum Thebanum, vel Troianum, vel Punicũ, vel Siguntinum, vel Pyrri, vel Antiochi, vel Mithridatis, vel res Romanas, vel Imperatorum, vel Philosophorũ, vel Mulierum vitas, vel Ducum facta fortia, et alia quamplurima, quæ ad Mũdi annales pertinere possunt; nec propterea omnia in Historia sunt protrahenda; sed ea tantum, quæ digna sint animaduersione; ex quibus homines vel ad virtutes excitentur, vel à visis deterreantur.

Tertia caußa accedit ad materiam ipsa forma, quæ opus ipsum perficit, & optime constituit, & est veritas; siquidem frustra narratio suscipitur, foretque inutilis, si veritate fuerit destituta; non secus, ac si animali oculos effodias, monstrum certe inutile efficies; propterea, vt veritati inhæreamus pro viribus, & veraces, & nõ aßentatores videamur, opus erit multa obseruare; primum, vt incerta pro incertis, dubia pro dubijs, obscura pro obscuris, & vulgata pro vulgatis scribantur; secundum, vt magis propinquis, quam externis gentibus credatur; tertium, vt probabiliora in medium afferantur; quartum, vt caußæ, & rationes factorum, consiliorum, mutationumque adiungantur; quintum, vt temporum ratio, atque locorũ descriptio, vnà cum personis habeatur: Sextum, vt superuacaneas rescindantur, vt Historia sit breuis, dilucida, compta, atque ornata, & Septimum, vt sententias grauiores pro loco tempore, rerum affectionibus, atque euentu inter scribendum Historicus misceat; vt lector Historiarum reddatur

solers,

solers, prudens, liberque à rebus aduersis; & his notis, & affectionibus Historia ipsa & verax, & iucunda reddetur.

Quarta tandem caussa finis adscribitur; eò namque consilio, atque gratia Historia est adinuenta, vt res humanas præcipuè, quæ facilè dilabuntur, & pereunt, ad posteros cum vtilitate transirent; siquidem omnia in tenebris iacerent, nisi Historiæ lumen accederet; facta fortium, Ducum fortitudo, antiquorum omnium virtus, magnanimitas, magnificentia, animi celsitudo, liberalitas, temperantia, iustitia, prudentia, & aliæ iunumeræ eßent sub perpetuo innotæ, silentio; nisi Historiæ Elogium poneretur; optima ratione igitur factum est, vt ex vetußima exemplorum antiquitate, & priscis sapientum vocibus, ex sapientissimis legum conditoribus, ex fortissimis Bellorum Ducibus, ex optimis Patriæ liberatoribus, & ex crudelissimis, immanissimisque Tyrannis per Historiam uitæ, documenta parata haberemus, ut benè, beatèque uiuere ære alieno disceremus. Historiæ igitur caussæ, & quæ, & quales esse debeant, satis nobis notæ ex iam dictis esse poßunt.

Quid discriminis sit inter Historiam, & reliquas disciplinas.

Cap. V.

SI cognouerimus, quæ sint discrimina inter Historiam, & reliquas ingenuas artes; innotescet facilè nobis eius uis, atque proprietas. Id uerò con-

ſequi potuerimus, ſi animaduertamus Hiſtoriam in numero earum artium poni, quæ ſermonem contemplantur; Grammatica namque Rhetorica, Poetica, & Hiſtoria in ſermone uerſantur; licet cum diſcrimine: Grammatica enim ad dirigendum rectam elocutionem, ſcriptionemque iuxta probatorum auctorum inſtitutionem; Rhetorica ad uarie animos afficiendos, commouendosque ad ſuaſionem; Poetica ad oblectandum, iuuandumque hominum animos; Hiſtoria uerò ad palam faciendum, quid ex humanis rebus fuerit geſtum, factumuè præcipuè, ſuum ſermonem dirigit. Hinc alterum oritur diſcrimen; quoniã Grammaticæ ſermo eſt ſimplex; iuxta ueterum canones; Rhetoricæ eſt ornatus, conſpicuus, ſplendeſcens, atque uehemens; Poetices quidam numerus harmonicus maximè decoratus, grauior, colluſtrationibus, translationibusque magis copioſus, atque uarius; at uerò Hiſtoriæ maximè eſt accommodatus ad popularem captum, atque intelligentiam, purus tamen, atque alienus ab omni barbarie. Hinc tertium habetur diſcrimen; ſtylus enim Grammaticæ eſt purus; Rhetoricæ, Poeticæque uarius pro re ſubiecta, de qua contingat ſermonem inſtitui; Hiſtorię uerò familiaris; niſi in eam contingat graues perſonas de re graui loquentes introduci; eo enim tempore, ut ſermo & perſonis, & rebus reſpondeat, cum ſententioſus fuerit, grauis eſſe debebit. Quartum hinc datur diſcrimen; quoniam Grammatica de ueternm tãtum auctoritate in ſermone laborat; Rhetorica de ſuaſione curat; Poetica animi oblectatione ad bonũ eſt contenta; Hiſtoria uerò rerum ueritati aquieſcit, & ni-

& nihil præterea de suasione, & oblectatione perquirit. Quintum hinc tandem colligi licet discrimen; nam Grammatica sermonem suum accommodat ad omnes res, tam ueras, quam fictas; Rhetorica sua præcepta ad tractanda omnia rerũm genera sermone ornato instituit; Poetica orationem suam ad ficta uerisimilia tamen uertit; Historia uerò suum dicendi genus de præteritis, ut præcipue gesta sunt, & uera, habet. Quare ex his omnibus percipi poterit, quibus rebus Historia à reliquis disciplinis secernatur.

De vario Historiarum genere.

Cap. VI.

IN *Mundo ipso cum omnia à certis caussis pendeant; à quibus proficiscantur, & fiant; alia siquidem sunt à natura uniuersali, alia a casu, uel à fortuna, ut appellant, quæ contingentia dici possunt; & alia à uoluntate humana emanant, quorum etiã multa sunt genera; non mirum uideri debet, si Historia, quæ rerum ordinem, statum, interitum, & finem oratione prosequatur, de singulis interdum sermonem instituat; hinc uaria Historiarum genera insurgunt; nam alia est uniuersalis, & alia particularis; alia de rebus humanis, alia de naturalibus; alia de Rerum publicarum uarijs regiminibus; alia de Philosophorum opinionibus; alia de fortium Ducũ gestis; alia de sapientum dictis; alia de Pontificum, Imperatorum, Regum, Principum, Ducum, Philosophorum, Oratorum, Poetarum, Grammaticorum,*

Mulierum, Sanctorum, Prophetarum, Martyrum, Confeßorum, Virginum, Anacoritarum, Heremitarumque uitis; Alia de Prouinciarum, Gentium, Nationum, Populorumque moribus, institutis, legibus, atque affectionibus; alia de particularibus Ciuitatibus, deque particularibus hominibus; alia de personis solis publicis; & alia de priuatis; alia de herbis alia de Plantis; alia de Animalibus; alia de Mundi partibus, alia de Mundo; alia de re bellica, & alia de alijs rebus. Vniuersalem Mundi Historiam Moyses est prosecutus; idem Plinius confecit; Iginus de regione cæleſti sermonem habuit; Ptolomæus, & Strabo terreſtrem Hiſtoriam suo tempore cognitam tractarunt; de mineralibus; ut, Albertus; de plantis, ut Dioſcorides, et Theophraſtus; de animalibus, ut, Aristoteles; de nationibus, ut, Ioseph de populo Hebræo; de Prouincijs uarij scripserunt; ut, Blõdus de rebus Italicis; de Anglicis, ut Polydorus; de Gallicis, ut, Emylius; de Germanicis, ut Auentinus; de Ciuitatibus, ut, Bembus de Venetiis; de Pontificibus, ut, Platina; de Imperatoribus, ut, Suetonius, & Iulius Cardus; de Principibus, ut, Charon de Tyrannis Asiæ, atque Europæ; de uiris Illuſtribus, ut, Plutarcus: de rebus publicis, ut, Liuius de Republica Romana: de Magiſtratibus, ut, Feneſtella: de Grammaticis, ut, Tranquillus: de Oratoribus, ut Dionysius; de Sophistis, ut Callistratus: de Poetis, ut, Crinitus: de Philosophis, ut, Laertius: de Sanctis, ut, Cartusianus; de priuatis, ut, Arianus, Andronicus, & Quintus Curtius Alexandri geſta: de rebus bellicis, ut, Appianus de Bello Punico, Asellius Sẽpronius

de

de Bello Numantino, & Aufidius de bello Germanico, & tandem de uaria Historia, ut, Clearcus: quare ex his colligi potest, quam sit uastum Historię mare: in quo, nisi quis conto, ut aiunt, nauigabit, naufragium faciet.

Quid sit Historia.

Cap. VII.

C*Vm multa iam de Historia dicta sint, quæ facile eius perfectionem, atque uim explicare possunt; opportunum iam uidetur, ut accedamus ad explicandum, quid sit: Nec hoc in loco de singulis Historiarum speciebus singulas tradere definitiones uolumus: id enim procul ab instituto nostro esset, ut omittam facile esse unicuique definitionem, seù descriptionem cum adiunctione specificę differentię accommodare. In uniuersum igitur dicere possumus Historiam esse ueram rerum gestarum narrationem litteris consignatam; vt bonorum exemplis studiosi iuuarentur, & malorum pœnis scelerosi à uitiis repellerentur: dum dicitur narratio, genus ostenditur; multa enim sunt narrationis genera, ut Oratoria, fabularis, Poetica, & huiusmodi: dum dicitur uera, aperitur eius discrimen à Poetica, quę sæpe de fictis rebus instituitur: dum ponitur litteris consignata, secernitur à narratione etiam uera, quæ interdum à Tragicis, Comicisque habetur: dum asseritur rerum gestarum, indicatur propriè, & præcipuè Historiam institui de rebus humanis ad hominum animos iuuãdos; de reliquis uerò minus proprie: dum apponi-*

tur, vt bonorum exemplis studiosi iuuarentur, & malorum pœnis scelerosi à uitijs repellerentur; eius finis, ad quem est ordinata, indicatur; non enim Historiæ proximus finis est humana gesta tantum immortalitati commendare; sed hoc est, veluti mediũ quoddam, ad homines alliciendum ad uirtutes, & à uitiis scelerosos arcendum; quare facile in hac Historiæ descriptione quatuor caussarũ genera colligi possunt; res gestæ se habent, vt materia; veræ, vt forma; narratio caussam efficientem tacitè exprimit, à qua litteris consignatur; vt bonorum exemplis studiosi iuuarentur, &c. caussa finalis præmonstratur, nec non & Historiæ vtilitas, atque necessitas non obscurè significatur; & hæc possunt esse satis de Historica definitione; multæ tamen possunt adiungi descriptiones, quæ maxime ad Historiæ præstantiam, vtilitatemque aperiendam valent; vt Historia est vitæ magistra; quoniam ex eius lectione homines ad recte viuendum instituuntur; vel Historia est lux veritatis, atque fida custos: quoniam ex Historia placita, dicta, consilia, facta, gesta, bella, euentus fælices, & infælices, proditiones, insidiæ, scelera, & quæque gesta fuerint, nobis ex veritate humana patefiunt, & in eadem conseruantur: vel Historia est exemplorum ditissimus Thesaurus, quoniam in Historia, veluti in quodam Thesauro, antiquorum exempla, siue bona, siue mala coaceruantur: vel Historia est vox quædam antiquitatis ad omnem pertinens posteritatem, qua homines excitantur ad bona prosequenda, malaque effugienda; vel Historia est quædam uniuersitatis tabula, in qua mores cuiuscunque gentis,

insti-

instituta, leges, animi affectiones, propensiones, ingenij vires, artes, facta, dicta, & excogitata, veluti compicta, intuemur: vel Historia est Theatrũ totius vitæ humanæ, in quo varia hominum ingenia, uariæ animi uires, variæ cupiditates, libidinesque, euẽtus, casus, varia tempora, pacis, & belli, pietatis, & impietatis conspiciuntur: uel Historia est quædam diuinæ prouidentiæ tuba, qua indicatur omnia diuino cõsilio geri, de omnibus curam habere, ut scelesti puniantur, Tyranni de medio fœde tollantur, & iusti a miserijs subleuentur, qua moniti ad uirtutis studia inflammari, & à utiis deterreri est necesse: uel tandem dicas Historiam eße speculum propositum nobis ad intuendum ueterum prudentiam, sapientiamque, ad optime se gerendum in omni rei euentu, & in utraque fortuna; omnia enim in Historia contemplamur, inspicimus, atque cognoscimus, quæ maxime conducant ad prudenter, sapienterque uiuendum. Patet igitur & Historiæ definitio, & eiusdem explanatio, & quæ sint eiusdẽ uariæ descriptiones.

Quæ sint necessaria ad comparandam Historiam.

Cap. VIII.

Contingit sæpe, ut homines fine sibi inscié proposito frustrentur, &, ut in multis id cognoscere licet, sic non obscuré in disciplinis, quas perturbatè, & ignarè aggrediuntur, deprehendere possumus: Quare, si quis in Historiæ studio proficere ex

animi

animi sententia uoluerit, opus erit, antequam id moliatur, sciat optimè, quæ sibi fuerint necessaria ad magnos in Historia habendos progreßus. Primum igitur neceßarium erit, ut in quo Idiomate Historia litteris fuerit mandata, probè calleat: Quamobrē, si italice italicam teneat, si græce græcam intelligat, si latinè, latinam percipiat, & si hebraicè hebraicam omnino teneat; sicque de aliјs fiat iudicium idem: Secundum, vt, post Epitomen Historiæ vniuersalem non omni in genere Historiæ uersetur; sed illud tantum, quod foret sibi vtile ad finem sibi propositum, assiduè euoluat, & tantum eos auctores, qui in ea magis ad ueritatem relictis animi perturbationibus accedant: sæpe namque euenit, vt rerum diuersarum multitudo, & librorum ingens copia addiscētium ingenia perturbet, ac perdat: Tertium, vt cultor Historiarū optima memoria floreat, ne quod diuturna lectione, immodicisque uigiliis sibi parauerit, temporis momento deperdat, atque cæcæ obliuioni tradat: quare id facile consequetur, si ordinatim uolumina legat, si loca, si tempora, si nomina propria, si facta insigniora, si varios euentus, si caussas malorum, si optima consilia, si prouidentiam, si pericula, si initium rei, si media, si progressum, sique finem rerum notabit: sic enim agendo memoria iuuabitur, & cōtinget in Historia illi mirificè proficere: Quartum fuerit neceßarium, & maxime vtile, vt non solum Historiarum suarum lectionem frequentet, uoluminaque vertat, & inuertat: verum etiam sermonem de rebus lectis sæpe instituat, uel secum, uel cū amicis, uel, cum occasio sese obtulerit, opportune repetat,

petat, exempla afferat, sapientũ vitam aperiat, prudentum consilia declaret, prouidentiam necessariam in futuris malis adhibendam præmonstret, & ita exercendo sese Historiæ *studium sibi, parentibus, amicis, Patriæ, et religioni perutile reddet. Quintũ, tandem necessarium erit, vt, qui* Historias *profiteri voluerit, Cosmographiam calleat, vt probe noscat locorum situs, interualla Prouinciarum, climata singula, affectiones gentium, Ciuitates insigniores, monarcharum sedes, mundi partes, terrarum plagas, varia Regna, famosiores montes, flumina, quę alluũt terram, maria, ad Mundi plagas, & alia multa, quibus ignoratis, vix cum aliquo* Historiæ *progressu in huiusmodi studio quis uersabitur, & hæc pauca fuerint satis ad innuendum, quæ necessaria* Historiæ *cultoribus sint.*

De modo versandi in Historijs.

Cap. IX.

S*Apienter sane dictum est, quicquid sit peragendum, non quoquo modo agendum, sed prudenter, vt facti te non pœniteat, proinde eius laudem ex sapientum iudicio consequaris; quid enim iuuat magna moliri, mouereque, si male incępta cogaris impudenter intermittere? Quid prodest multa ignarè aggredi, perturbateque prosequi, si infæliciter periculum tibimet struis? ego verò sic opinor magna non bene tractari, nisi consulto suscipiantur, sapienter destinentur, optimè instituantur, prudenter dirigantur,*

tur, & constanter perficiantur, vt tandem fæliciter omnibus numeris absoluantur. Qui certe disciplinas aggreditur discendas, & in sui commodum parandas, profectò opus magnum aggreditur, nec ignare tractandum, sed summa animi solertia, atque diligentia euoluendum: quare iure optimo factum est, vt disciplinæ quæque non solum inter se vel priores, vel posteriores locarentur, sed etiam certum in se ipsis haberent ordinem, quem, cum seruarent studentes, fore maximo usui eorum ne dubitandum quidē est. Quod si necessarium hoc in singulis doctrinis est existimandum, certe in Historiæ *studio, cuius lectionem, veluti vastissimum mare esse opinamur, vere iudicandum est: quare, si intempestiuè, ignarè, oscitanter, nullo adhibito ordine, nullisque præpositis sapientum monitis, eius studium laboriosum euoluere tentabimus, opus exosū ex iucundo nobis reddemus, labores summos inutiliter suscipiemus, frustra in vigiliis erimus assidui, omnia ex memoriæ excident, ex ueritatis luce tenebras nobis conciliabimus, & ex antiquitatis thesauro in summa egestate erimus. Quamobrem, vt hæc incommoda euitemus, quædam apponemus præcepta, quę* Historiarum *studiosos, veluti manu ducent ad liberandum se ab erroribus, & futuris detrimentis, vt plurimum possint in* Historijs *proficere magna cum ingenii laude.*

Primum igitur, vt vtiliter in Historiis *uersemur, prius vniuersalem aliquam Historiarum Epitomen attente legere opus erit, vt vno ferme intuitu uniuersalem Mundi* Historiam *in unum compilatam mentis acie comprehendere possimus: patet enim in*

singu-

ſingulis artibus in principio earum compendiola artis, & ſummaria ante oculos addiſcentium proponi, vt breui quodam Epilogo uniuerſam artem conſpiciant, vt facilius, quæ futura ſunt laborioſa, intelligantur; pari ratione videtur eſſe agendum in Hiſto*ria, vt paratum habeamus nobis aliquod Chronicon complectens temporum, Regnorum, Monarchiarũ, Imperiorum, & rerum omnium humanarum geſtarum ſeriem, ex quo connectamus ſimul omnia Imperia, omnes rerum mutationes, omnia bella, omnia pręclara geſta, factaque, omnia tempora, omnia loca, & omnia, quæ ingenium humanum ad antiquitatis inſtitutionem iuuare poſſint; in quo quidem compendio* Hiſt*oriarum euoluendo maxime, & temporum ſeriem, quæ Chronologia dici poteſt, & locorũ ſingulorum diſpoſitionem, atque interualla, quæ ad Topographiam referri poſſunt: notare opus erit: ad quod facilius conſequendum, & Ptolomæus, & Põponius Mela, & alij ex Coſmographia poterunt eße nobis magno adiumento, vbi enim quis legendo tẽpora, loca, ſapienter dicta, prudenter deliberata, fortiter geſta, magnanime tẽtata, animoſe finita in qua libet ætate, in re profana, in Eccleſiaſticaque breui ſaltem comprehenſione notauerit: magnam certe vtilitatem initio Hiſtoriarum ſibi parabit.*

Poſt vniuerſalem, verò mundi Hiſtoriam vtile erit legere Hiſtoricos prius antiquiores, poſtea vero eos, qui uſque ad noſtræ ętatis tempora ſcripſerũt: prius igitur videtur euoluẽdus Moyſés: nullus enim eſt eo antiquior, & qui magis ad rerum veritatem acceßerit: Hiſtoria enim ea diuinitus eſt ſcripta: ſe-

quentur

quentur libri Iosue, Iudicum, quatuor Regum: hinc Herodotus*: is enim* Historiam *suam est exorsus, vbi Prophetarum elocutio defecit : ab eo perlegendus erit Thucydides, hinc Xenophon, Diodorus Siculus, Liuius, Suetonius, Appianus, Tacitus, Dion, Herodianus, Trebellius, Marcellinus, Procopius, Agathias,* Paulus *Diaconus, Eraclius, Zonaras, Nicetas, Gregoras, Tornandes, Blondus, Sabellicus, Ozorius, Hortensius,* Paulus *Iouius, Sigonius Guicciardinus, & alii multi, si placebit, ex quibus cuncta, quæ in vniuersum acciderunt, suisque temporibus, facile erit notare.*

Tertio illud certum haberi debet inter Historias, quæ nobis in agendis caussis, pertractandisque negotiis maxime vtilitati esse possunt, Principem obtinere locum Romanorum Historiam: siquidem hæc una & imperii diuturnitate, & fortunæ uarietate, & rebus gestis domi, forisque, & uirtutum amplitudine, & Bellorum multitudine, & nationum subiectione, & Ducum fortitudine, & memorabilium rerum copia cęteras longe uincit: quamobrem satis nobis amplum argumentum in quacunque re suppeditare poterit.

Quarto: In quacunque Historia verseris, notatu digna diligenter memoriæ sunt commendanda: Quare Ducum fortitudo, Principum magnanimitas, Imperatorum animi amplitudo, militū labor, industriaque, hostium uires, insidiæ paratę, pericula, artium calliditas, animorum audacia, præliantium impetus, bellantium patientia, constantiaque, præliorum conflictio, concertantium cædes, exercituū robur,

bur,

bur, instrumentorum apparatus, annonæ comparatio, frugalitasque copiarum ordo, publicè certaminis dispositio, victoriarum celebritas, triumphorum pompa, Captiuorum numerus, opum collectio, pecuniarum elargitio, munerum munificentia, victoram clementia, subactorum demissio, memorabilium fama, artium custodia, præsidiorum institutio, rerum mutationes, legum constitutio, morum diuersitas, animi affectionum vis, ingeniorum mutabilitas, temporis incertitudo, sapientum dicta, consultorum sanctiones, prudentum consilia, factorum caussæ, populorum tumultus, nationum uarium ingenium, rerum gestarum series, locorum, aquarum, fluminum, Marium, montium, Vallium, agrorum, Oppidorũ, Pagorum, Insularum, Portuum, ędificiorum, castrorum, Ciuitatum, temporum, phanorum, machinarum, instrumentorum, & personarum descriptiones, virtutum exempla, artium uires, disciplinarum facultas, doctrinarumque potestas diligenter est obseruanda, notanda, & memorię summa cum diligentia retinenda: studiosus enim animus in aliquo certo rerum studio occupatus, semper eò contendit vires suas, ut, quicquid sibi foret vtile, nihil relinquat intentatũ: quamobrem summa mentis acie Historias quis percurrens nihil intermittet, quod animaduersione sit dignum: vt suo quoque tempore ex Historiarum thesauro egregia dicta, gesta, factaque depromat.

Quinto notare opus erit summa cum diligentia, quæ sint animi vires, ingeniaque apud singulas nationes: certum enim est ex diuersa corporis habitudine, uarioque eiusdem temperamẽto apud nationes

uaria

uaria etiam exoriri ingenia, uarias animi propensiones, uarias affectiones, uarios mores, uaria ad facinora irritamenta; ut enim gentes, populique locorũ interuallo, mõtium cacuminibus, uallium angustiis, agrorum finibus, & climatum diuersitate separantur: Sic uaria aeris temperie corpora plurimum inter se distant, hincque uarii mores: Quare diligenter sunt obseruandi, notandique: & diligenter inspiciendum, in qua re quæuis natio pręcellat: non enim omnia sunt æqua in omnibus: sed altera in una re excellentior, in alia uerò est inferior: obseruatur id in antiquitate: Balleares enim floruerunt funda, Scythæ sagittis, Parthi *equitatu, Romani uerò peditatu fuerunt celebres: at uerò nostris temporibus Itali, Galli, &* Hispani *in tumultuariis præliis palmã ferunt: Germani, & Angli in Stataria pugna; Galli commendantur impetu, Germani audacia, Angli alacritate,* Hispani *summa astutia, cunctationeque, Itali generositate una cum prudentia, & sic aliis, quibus nationes, gentes,* Populi *quique conspicui sunt, & commendari solent: maxime enim id cõducit ad Rerum publicarum gubernacula cum dignitate retinenda, id enim semper legum conditores spectarunt, ut pro ingeniorum, animique affectionum diuersitate diuersas conderent leges: nec non sapienter id obseruarunt magnanimi Duces in subiciendis barbaris nationibus: cognita enim, atque perspecta morũ qualitate uarie suas instruxerunt copias, & in eos Barbaros bellantes facile in suam redegerunt potestatem: diligenter itaque hæc omnia sunt obseruanda.*

Sexto, ut Historię *studiosus solerter animaduertat,*

tat, quæ sint inter se similia, quæ gentes inter se conueniant, qui Duces fuerint similes, quæ regimina fuerint sibi consentanea, & quæ Respublicæ, quiq; homines fuerint eisdem moribus, & in quibus discrepauerint, & fuerint diuersi, id Plutarchus in virorum illustrium vitis præstitit; sic enim agendo Historiæ studiosus in quouis argumento versetur, sit copiosus, est necesse; nam multa habebit de eadem re similia, multa exempla, multa conuenientia, multa contraria, & multa diuersa, ex quibus oratio ipsa redditur copiosa, grata, atque delectabilis.

Septimo perbelle notabit omnia, quę in aliquam deueniunt Historiam ad quatuor capita facile reuocari posse, vel ad res naturales, vel ad res politicas, vel ad res bellicas, vel ad uirtutes, adque vitia: ad naturalia reuocantur Cęlum, Elementa, Ignis, aeris temperies, aquarum moles, flumina, aquę ductus, canales, maria, loca, climata, montes, ualles, herbulæ, fructices, arbores, animalia uolantia, aquatilia, terrestria, reptantia, quadrupeda, & huiusmodi: ad res politicas referuntur mores, instituta, leges, Ciuitatū regimina, artes, Gymnastica, temporum obseruatio, & huiusmodi: Ad res bellicas rixarum origo, Populorum hostilitas, odia naturalia, aduentitia, litium caußę, uis, tyrannis, alieni occupatio, morum feritas, in parentes impietas, in Diuos irreligio, pacis desiderium, certamina, conflictus, insidiæ, Strages, legationes, induciæ, noua pacta, & huiusmodi; Ad uirtutes, & vitia reuocantur optima institutio, studiorum cultus, disciplinarum exercitatio, fortitudo, tēperantia, magnanimitas, munificentia, animi celsi-

tudo, liberalitas, clementia, vrbanitas, ueritas, affabilitas, fidelitas, iuſtitia, legum obſeruatio, religio, oblationes, ſacrificia, victimæ, preces, & alia multa; contraria his, impietas, irreligio, inurbanitas, infidelitas, pertinacia, feritas, inclementia, immanitas, animi elatio, auaritia, impudicitia, intemperantia, Socordia, negligentia, ſegnities, impatientia, iniuſtitia, legum contemptio, maiorum deſpectio, legũ obliuio, inobedientia, & alia id generis monſtra, quibus animus pręcipuè deformatur; quamobrem inter legendum notabit Hiſtoriarum cupidus, quid ad res naturales, quid ad politicas, quid ad virtutes, quidque ad vitia referri poſſit, vt loco, & tempore illa in ſui commodum haurire poſſit, & auditoribus, quid in animo habuerit, facile perſuadere valeat.

Octauo, certo ſciat Hiſtoriam quamcunque maxime ſolere eſſe refertam rebus bellicis; vt quæ ſint origo Regnorum, Imperiorum, Rerumpublicarum, Ciuitatum, & Monarchiæ mutatio; in quibus rebus uaria, & vtilia & ad vitæ, & ad Populi Regimina miſceri ſolent: inſpectabit Ducum egregias conſultationes, populorum tumultuationes, gentium timores, pericula magna imminentia, eorundem ex conſilio paratam fugam, legationes vtrinque miſſas, egregia conſilia, ſapienter reſponſa, acute inuenta, orationes Ducum, cohortationesque miro artificio contextas ad milites, acerrimas dimicationes, incertum conflictionis exitum, inſidias vtrinque callide excogitatas, ſubitana remedia, ancipitem fortunã, victorias ſæpe ex caſu ad infirmiores, & alia multa notabit, quæ ad fortiter geſta, & ad reliquas animi

virtu-

virtutes, corporisque labores ad humanum ingeniũ instituendum spectare possunt.

Nono in rebus bellicis illud præpterea animaduertat, est opus: nullam fuisse nationem, atque Prouinciam, quæ omnino libera fuerit ab huiusmodi bellica vi: imo verò aliquãdo atrox, mirãdũq. sustinuerit bellum, vel animose propulsauerit, vel gloriose confecerit, vel prudenter susceperit; bellum imprudenter tentatum fuit Xersis in Græciam; nimium audacter conflatum bellum Alexandri in Darium: nullum maius, nec difficilius susceptũ à Romanis, quam bellum Punicum: in Annalibus Anglorum nullum illustrius Gallico animaduertitur, in Historijs Francorum nullo celebrius Saracenico, in Germanorum Chronicis nullum præclarius, quam susceptum cum Romanis, & Italis: in Hispanorum commentarijs nullum fortius, & præclarius gestum, quam contra nũmerosos, Barbarosque Africæ Reges: sic de multis alijs dici potest, in quibus, dum Historiæ stodiosus versabitur, atrociora, admirabiliora una cũ caussis, progressibus, & certis euentis obseruabit, vt rerum militarium disciplina maxime fiat in rebus gerendis cautior. Decimo Historiographorum prudenter habeat delectũ, et maxime eos voluat, qui præcipue suo possint inseruire instituto: & in illis excolendis p̃cipue elaborabit, qui de Patria, de propinquioribusq; Prouincijs scripserunt: magnæ.n. solet videri stultitiæ signũ aliena longa lectione, perquirere propria verò, quę sæpe sunt nota infimis de plebe, ignorare: verum, vt de Historiographis pauca dicamus, illorumque præstantiam indicemus: pro certo habeat

Herodotum suauissimum haberi, Thuccididem neruosum, Theopompũ elegantem, Xenophontẽ dulcissimum, Plutarchum doctissimum, Sallustium sententiosum, Liuium mira suauitate, Cęsarẽ mire tersum, atque nitidum, Suetonium, & Tacitum argutos, sententijs grauibus refertos, Seuerosque, Guicciardinũ, & Iouium elegantes, & in oratione concinnatos, graues, & sapientes; quare eorum habebit delectum, qui magis fuerint ex animi sui sententia, & eos magis sciat commendari, qui in Propria Prouincia scripserunt, qui non odio, non simultate, non animi perturbationibus, non munerum largitionibus, non pecuniarum vi, non dolo, non assentatione, & non quauis alia animi labe; sed veritatis studio, bonorum gratia, & posterorum vtilitate suam sunt exorsi Historiam.

Vndecimo Historiarum lector suos habeat commentariolos, vt, quæ inter legendum occurrant præstantiora, pręclariora, grauiora, admirabiliora, insignes rerum euẽtus, virtutis egregia facinora, sapientum dicta, Ducũm gesta fortia, militũ grauia facta, Populorum seditiones cum caussis, concertantium mira fortitudo, & alia, quæ præseferunt heroicam virtutem, singularem sapientiam, & egregiam prudentiam, vt suo commodo notare, & exarare possit, notãdo locum, tempus, personas, caussas, numerum, & huiusmodi, quæ, nisi commentariorum beneficio reparentur, certę ex rerum multitudine, copiaque facile è memoria effluxerint: proptereąque non parcendum calamo.

Duodecimo tandem, vt habeat socios quosdam, amicos,

amicos, atque familiares, qui pari studio capiantur, oblectenturque: quibus, cum lecta, atque obseruata aperire possit, repetendo breui, quæ diffusius lectitarit, potiora desumat, superuacanea rescindat, & sic exerceat sese, vt paratior reddatur, vbi occasio sese obtulerit afferendi exempla, dicta, factaque ex Historiis. Quod si sociis caruerit, ipse secum, vt solus commentetur, rationem ducat de singulis, & veluti mansum cibum, omnia ruminet.

Quare, dum hæc omnia diligenter obseruauerit, vniuersalem Historiam prius lectitarit, Chronicon omnium temporum euoluerit, particulares postea Historiographos perlegerit, delectum eorum habens, & quę ad res naturales, ad rès politicas, ad res bellicas, & ad virtutes, & ad uitia referuntur, ad sua loca reuocauerit: gentium mores, instituta, leges, personarum affectiones, locorum, temporum, mariumq; descriptiones, animorum uires, ingeniorum artes, potiora dicta, facta, gesta, commendata, admirabiliora, atrociora, caussarum euentus, rerum progressum, regnorum mutationes, & alia huiusmodi notauerit, cōpilauerit, sępe repetiuerit: certe Historiam in sui cōmodum uel maximum uertet.

De Historiographis, deque argumentis, de quibus scripserunt.

Cap. X.

NOn erit inutile cognoscere auctores, qui de varijs Historiarum generibus scripserūt, ex qui-

bus, veluti ex promptuario rerum gestarum, omnia ad antiquitatem spectantia depromere licebit; ignoratis namque frequenter viris, qui in aliqua arte cū maxima ingenij laude, atque doctrina sunt versati, maximum accidit incōmodum studiosis iuuenibus; quare, vt nihil relinquatur eorum, quę prodita sunt monumentis ab Historiographis, *eorum nomina apponemus vna cum materiebus, de quibus suas instituerunt* Historias; *incipiendo ab ijs, qui vniuersales* Historias *contexerunt.*

Moyses Mundi Historiam *diuinitus scripsit.*

Iosephus Iudæus Historiam *antiquitatis Iudæorum ab exordio Mundi vsque ad decimum tertium annum Domitiani est prosecutus.*

Nicolaus Damascenus Historiam *vniuersalem, & vitam Augusti litteris commendauit.*

Prudentius Historiam Mundi item conscripsit.

Sozomenus Præsbyter Pistoriensis Historiam vniuersalem pariter compilauit.

Dexter Barcinonensis H*istoriam in vniuersum etiam contexuit.*

Paulus Orosius H*istoriam ab initio Mundi vsque ad* Honorij *Principis tempora litteris commēdauit.*

Zonaras H*istoriam vniuersalem ab exordio Mundi vsque ad Michaelis Imperatoris Constantinopolitani tempora est complexus.*

Sabellicus H*istoriā vniuersalem ab exordio Mūdi vsque ad sua tempora reliquit.*

Vincentius ordinis Prædicatorum H*istoriam vniuersalem ab exordio Mundi vsque ad* H*ierosolymitanam expeditionē Ludouici, Regis Gallorū edidit.*

Isido-

Isidorus Historiam à Ciro Persarum Rege instituit.

Blondus de rebus Italicis: Polidorus de Anglicis: Emylius de Gallicis: & Auentinus de Germanicis suam est exorsus Historiam.

Iustus Tiberiensis Historiam rerum Iudaicarum: Charon Lãpsacenus Aethiopica, Cretensia, & Graecanica: Appollonius Afrodiseus res Garias: Palepharus Abydenus Cypriça, Africa, & Arabica: Antipater res Illyricas: Crito res Persicas, Siculas, & Macedonicas: Ephippius Cumaeus, Isocratis auditor, Historiam ab excidio Troiae vsque ad sua tẽpora: Titus Liuius res Romanas.

Dionysius Milesius res Persicas, & quae post Darium sunt secuta: Xantus Historiam Lydorum: Zeno Rhodius Historiam Rhodiorum: Theocritus Chius Historiam Lybicam: Polemon de origine Ciuitatũ Phocidis, Ponti, Lacedemoniae Geographiã: Pausanias Cęsariensis vniuersę Gręcię Geographiã cum eius Historijs: Polybius Scipionis Africani praeceptor Romanam Historiam: Paulus Foroiuliensis Historiam Longobardorum: Priscus Historiam Constantinopolitanam, & Attilae: Festus Ruphus epitomen rerum Romanarum: Idem argumentum Eutropius Afer, Augustini discipulus; Eusebius epitomen temporum, & de praeparatione Euangelica: Florus Historiam Romanam, & epitomen in Libros Liuij, scripsit.

Dares Phrygius bellum Troianum: Timeus Siculus res Graecas, & bellum Thebanum: Thucydides Athenensis bellum Peloponentiacum: Asellius Sempronius bellum Numantinum; Appianus Alle-

xandrinus bellum Punicum, bellum contra Antiochum, bellum contra Parthos, bellum contra Mithridatem, bellum Illyricum, bellum Annibalis in Romanos, & bellũ Hispaniense: Crispus Sallustius bellum Catilinarium, & Iugurthinum, & Romanas Historias: Caius Oppius bellum Hispaniense.

Clearcus de varia Historia: Iulius Cordus de vitis Imperatorum: Esichius Herodianus Alexandrinus Imperatorum Historiã: Esichius Milesius Historiam Romanorũ Imperatorũ Tyrãnorũ, et diuersorũ gẽtiũ res gestas vsque ad sua tempora; Dionysius Alicarnaßeus Romanam Historiam; Cornelius Tacitus, Marius Maximus, Eutropius, Orosius, Dion, Appianus, & alij Imperatorum vitas pariter scripserunt; Amianus Marcellinus vitam quorundam Imperatorum tantum reliquit; Elius Lampridius de gestis Imperatorum ad Constantinum magnum; Anastasius, Paulus Diaconus, Sigisbertus Monacus, Guido Rauennas, Vgo Florianus, Sicardus Episcopus Cremonensis, Gotfredus Viterbiensis, Martinus Carsulanus, Sozomenus, Geruasius Ricobaldus, Landulfus Canonicus Carinotensis, Ptolomæus Lucensis, Antonius Episcopus Florentinus, Platina, & alij Historiam Pontificum Romanorũ commendarunt litteris; Socrates Constantinopolitanus Historiam Ecclesiasticam à tempore Apostolorum vsque ad Chrysostomum; Ireneus Episcopus Lugdunensis, eandem Historiam est prosecutus; Xaxo Grammaticus Historiam Regum Danorum; Robertus Historiam Regum Gallorum: Boccacius de casibus virorum illustrium: Solinus de mirabilibus Mundi: Blon-

di: Blon-

di: Blondus Foroiulienſis de Roma triumphante: Andronicus, Arianus, Caliſtenes, Clitarcus Dion, & Quintus Curtius de Alexandri geſtis egerunt: Diogenes Laertius de Philoſophorum vita, & moribus: Valerius Maximus dicta, & facta memorabilia, & alii quamplurimi annumerantur Hiſtoriographi, vt Hærodotus, Xenofon, Trebellius, Procopius, Agathias, Euagrius, Nicetas, Gregoras, Iornandes, Hortenſius, Paulus Iouius, Guicciardinus, Sigonius, Baronius, & alij multi, quorum nomina ſigillatim perſequi nimium longum eſſet. Et hæc ſatis de Hiſtoriographorum nominibus.

Finis libri Primi.

DE

cta, quę non raro plebis ambagibus est interpolata, quę sepę numero auctorum diuersitate innumeris est circumuoluta dubiis, quę temporum caligine sępius est à nobis remota, quę tandem animi concitationibus, ignorationisque tenebris frequenter est nobis occulta? est ne perfacile in scribendo pendere à vetustissima temporũ serie, in singulis rebus verba ęquare factis, abstinere se, cum sis homo, ab omni animi perturbatione, ab odio, à personarum amore, à nimia Patriæ pietate, & ab omnibus aliis, quę à veritatis studio nos abducere possunt: vitia, vt ęquũ est, damnare, vituperareque in quoduis hominum genus cadentia? Est ne parum in magnis rebus, arduisque magna pericula vitare, potẽtum minas non perhorrescere, obtrectatorum verba aculeata non audire, populorum affectationẽ negligere, nobilium ambitum non sectari, & magnorum Principum potentiam veritatis studio non pertimescere? Est ne parum irreprehensibilem se reddere, vt vitia damnet, vituperetque, cum infinita pene sit inuidorum, calumniatorumque caterua? Est ne perfacile centum auribus audire, linguas mille, & ad veritatem solum opinari, scribereque? Est ne vulgatum, populareque per longinqua terrarum spacia auditores paratos habere, qui multa audiant, videant, inspectẽt, notent, signent, & transmittant ad vnguem, quid dictum, quid dubitatum, quid factum, quidque gestum sit? Est ne satis accomodatum in animos Regũ, Principum, Imperatorum, Pontificumque nullo obstrepẽte irrepere, vt animi propensiones rimeris, cogitata perscruteris, fędera inita cum alijs Principibus dignoscas,

gnoscas, quo consilio, qua mente, & qua caussa? Difficile, imo perdifficile, quin potius difficillimum est scribendi Historias *munus, quod tot, tantisque est expositum difficultatibus, quod magis inferius patebit.*

Quare de Principibus, deque uiris illustribus, ac mulieribus clarissimis, de Imperijs, deq; Rebuspublicis, atque Rebus militaribus Historia humana præcipue instituatur.

Cap. II.

P*Osset quæri ratio, cur factum sit, vt non de omnibus rebus impermixte Historia scribatur; sed præcipuè] de* Principibus, *de viris conspicuis, de mulieribus clarissimis, de summis Imperijs, de bellis, & huiusmodi grauioribus suscipiatur. Verum non difficile huius rei argumentum, neque ratio occulta esse poterit, si ipsius* Historiæ *finem inspectauerimus; nam, si eò Historia spectat, vt bonorum exemplis, malorumque pœnis, atque optimis humanæ vitæ regiminibus homines recte ad virtutes instituantur, & à vitijs arceantur, sicque ad humanam fœlicitatem, veluti Historiæ manu ducantur, consequens omnino est, vt, quæ exempla ex personarum qualitate fuerint clariora, opportuniora etiam censebuntur ad commendanda litteris per* Historiam; *at verò, quæ exẽpla à* Principibus *claris desumuntur, apertissime comperimus vbique locorum plus ponderis habere, quam, quæ à priuatis personis deducuntur*

ducuntur, ſiquidem, dum Populi Principum audiũ-præclara conſilia, optimas humanæ vitæ regulas, ſapientiæ ſigna, prudentię documenta, beneficentiæ notas, clementiæ decus, fortitudinis ſpecimen, laborum tolerantiam, calamitatum perpeſſionem, periculorum fugam, & omnium virtutum clariſſimum ornamentum intuentur, ſumma animi aduerſione admirantur, & ad eorum imitationem optime ſe gerere in vtraque fortuna diſcunt. Contra etiam, ſi in Hi*ſtoriam Tyranni, Principeſque deducantur, qui flagitiis, intemperantiæque vitiis, ac auaritiæ notis infames fuere, eorum exitus etiam infęlices, & meritę pœnę ſuorum ſcelerum enarrantur, & publicę calamitates inſeruntur, quibus declaratur diuino iudicio ſceleroſos homines puniri, & pœnis multari; Quibus rebus optime expenſis, conſideratisque homines permouentur ad crimina effugienda. Idem iudicium videtur ferendum de mulieribus clariſſimis, de quibus quandoque traditur* Hiſtoria *; nam, cum mulieres natura ſint ſatis infirmæ, ac imbecilles, propterea que ad nullum egregium factum proſequendum propenſę eſſe videntur; ſi quędam dabuntur, quæ vel nobilitatis genere, vel ingenii acumine, vel animi magnitudiue, vel ſapientię decore, vel pietatis ſtudio, vel Populorum regimine, vel Regnorum adeptione, uel bellorũ expeditione, uel uictoriis, & huiuſmodi clarę fuerũt, ſunt ẽt maxime accõmodatę ad animos lectorum cõmouẽdos, excitãdos, inflãmãdosq; ad virtutũ ſtudia, ad reliquas mulieres etiam alliciendas, dēducendosque ad honeſte, temperate, et ſtudioſe viuendũ, quæ etiã, ſi magnæ fuerint*

Regi-

Reginæ, quæ intemperantia, flagitiisque indignis suum dedecorarunt honorem; propter infamiæ dedecus sunt etiam incitamento cæteris mulieribus ad propriam vitandam infamiam. Bella verò per Historiam describuntur; quoniam origines mutationũ Imperiorum, publicæ calamitates, publica damna, graues consultationes, consilia prudenter capta, populorum concitationes, periculorum fuga, præliorũ conflictio, magnorum Ducum fortitudo, Ciuium generositas, mulierum pietas, senum prudentia, Iuuenum labor, & varii Principum euentus describuntur, quibus homines maximè commouentur, & admonẽtur ad amorem in Patriam, ad religionem defendendam, ad viriliter pugnandum, & ad se liberãdum ab imminentibus periculis; quare, cum in bello contingant admirabiliora, & frequentiora virtutis facta, & maximæ rerum mutationes: fit etiã, vt maximum sit Historiæ argumentum: De Imperiis tandem, atque de Rebuspublicis, cur Historia fiat, ex eo manifestum esse potest, quòd publica Regimina, cum fuerint optima, & à sapientissimis viris constituta, & sanctis munita legibus: maxime ad humanam felicitatem conducunt: ipsorum memoria nobis est grata, vt quæ maxime vtilis; quod si mala fuerint, & caussæ extiterint, vt Respublicæ ruerent, & afflictarentur in vltimum excidium: monemur etiam, vt optimas sequamur leges, iusta habeamus regimina, vt vitemus populorum tumultũ, & conspirationes, quæ sæpius peruerterunt Regna, & Imperia. Quare potest esse clarum ex his, cur de Principibus, & uiris illustribus, de mulieribus claris,

ris, de rebus militaribus, de Imperiis, deque Rebus publicis Hiſtoria *ſcribatur*.

Hiſtorias ſcripturus quibus animi affectionibus, & artibus prædituſ eſſe debeat.

Cap. III.

M*Vnus ſcribendi* Hiſtorias, *cum valde ſit laborioſum, & in ſui perfectione multa requirantur; non mirum videri debet expoſtulare grauia, magnaque in Hiſtoriographo; quæ enim præclara ſunt, ad ſui conſtitutionem ſumma admittunt omnia, & perfecta volunt omnia. At verò, ſi diligentius res ipſa expendatur, videbimus multo plura in obeundo tanto munere requiri, quam à nobis explicabuntur; ſed iam rem ipſam aggrediamur.*

Primum Hiſtoriæ ſcriptor maxime in re grammatica debet eſſe uerſatus, in quocunque idiomate, in quo ſit ſcripturus; vt eius ſingulos canones ſæpius, & diligenter euoluens, vocum originem, vim, notionemque penitus intelligat; bonorum auctorum lectionem aſſidue ſibi paratam habeat, in quibus agnouerit, quid pure, quid nitide, quid eleganter, quid ſplendide, quid grauiter dictum ſit; & ita omnibus his debet eſſe eruditus, vt ad omnem orationem ſit copioſus, purus, & diſcretus; quod licet intueri in his, qui palmam tulerunt in Hiſtoriis *conſcribendis: vt, Liuius, Tacitus, Appianus, Iouius, & alii.*

Secundo, vt Rhetorices præcepta optime imbiberit: vt omne genus orationis calleat, vt grauia graui-

ter,

ter, humilia humiliter, attenuata attenuate, & magna neruose tractare possit: vt præterea sententiosa dicta, rerum consultationes, Legatorum orationes, Principum responsa, Ducum cohortationes ad milites, animorum affectiones, concitatos animos, odia asperrima, miserandas strages, percicula maiora imminentia, & alia multa pro personarum dignitate ornate adscribere, splendide tractare, & decore effingere: vt tandem ordinem rerum in narrando, in confirmando, in confutando, in exordiendo, in finiendoque optime ex arte seruare possit, & certe, si quis attente Historias probatorum auctorum lectitarit, videbit eos plurimum eloquentia floruisse, hocque dicendi ornamento sibi magnam laudem comparasse, lectores in legendo summa animi oblectatione detinuiße, & omnia, quæ difficillima sunt ad exprimendum, declarandumque, vt, animi affectiones, bellorum concitationes, locorum descriptiones, exercituum castramentationes, clades, delamentationes, tēpora pacis, bellique: ita eleganti oratione persecutos esse, vt ea ante oculos, veluti præsentia compinxerint: lege Suetonium, expende Liuium, cole Polybium, & specta diligenter alios, qui Historię laude floruerunt, & admirabilem Historiæ ordinem, dicendi genus luculentum, purum, ornatum, vehemens, lacertosum, neruosum, sententiosum, iucundūque omnibus notis intueberis.

Tertio, vt Philosophiæ studium naturalis summis laboribus excoluerit: secus enim quomodo cum ingenii laude, atque doctrinæ commendatione Historiam conscribere possit, non satis uideo: qui quæso

corpo-

corporis affectiones, animorum facultates, gentium propensiones, potentiarum vires, odij, amoris, doloris, oblectationis, spei, timoris, audaciæ, aliarumq; animi perturbationum vim, facultatemque elementorum, locorum, plantarum, stirpium, herbarum, & aliorum virtutem, temporumque vicissitudinem, & cæterorum, quæ ex natura constant, oratione prosequi poterit, de quibus non raro contingit in Historia, vt sermo suscipiatur? quomodo cognoscere poterit omnia principium, medium, finemque habere, omnia conflari ex elementis, omnia tandem corrumpi, resoluique in sua princĩpia, omnia cõstare ex materia, & forma, omnia ad certum finem dirigi, omnia finita esse, omnia posita eße in certo pondere, numero, & mensura, omnia subiacere tempori, omnia varie mutari, misceri, & transmutari, omnia inferiora cęlestibus subijci dominationibus, & omnia inferiora a secundis caussis pendere, & infirmiora a potentioribus gubernari, & alia innumera, quæ in Philosophiæ vestibulo discuntur: at verò nemo dicat Historicum prosequi gesta, humanaque facta; propterea que ad eum non pertinere de rebus naturalibus; quoniam homo est res naturalis, mouetur caußa naturali, animi affectionibus, quæ sunt naturales, in actionem fertur; agit in tempore, quod est ens naturale: præstat opera sua in loco, qui est res naturalis; dirigit suum opus ad finem, qui habet rationem boni, quod est ens naturale; vtitur potentijs, cum corporis, tumque animi facultatibus ad gesta, factaque perficienda, quæ sunt res naturales; vtitur quibusdam auxiliis, quæ sunt veluti media ad

opus perficiendum, quæ sunt res naturales; pendèt tandem à secundis caussis etiam in operando, quæ sunt entia naturalia; quare, licet opera, vt sunt digna laude, vel vituperatione, non pendeant omnino a natura; secus enim laus, & vituperatio esset in natura, quod maxime a vero abhorret; sed, vt pendent a voluntate bene, vel male affecta, laudem, vel vituperationem promerentur; tamen & natura præstat vires ad opus, dat initium, dat ingenium, dat facultates, dat organa; & alia, quæ sunt entia naturalia; vt, locum, vt, tempus, vt supradictum est; quare Historicus non omnino suũ poterit præstare munus, si Philosophiæ studio fuerit destitutus; hinc factum est, vt, qui Historici hoc doctrinæ specimine fuerunt clariores, grauiores suas reddiderint Historias, maiorique in prætio habiti sint.

Quarto, vt in eo adhuc Philosophiæ studio, quod actuosum est, & Philosophia moralis vocari solet, sese exercuerit; vt sciat, quid sit vnaquæque uirtus, quid prudentia, fortitudo, temperantia, iustitia, munificentia, liberalitas, magnanimitas, constantia, patientia, mansuetudo, clemẽtia, fidelitas, vrbanitas, affabilitas, generositas, pietas, religio, & aliæ; quid earum uires, obiecta, actus, media, fines, commoda, oblectationes, et huiusmodi, quid earum opposita vitia, imprudentia, intemperãtia, iniustitia, segnities, auaritia, immanitas, impatientia, falsitas, infidelitas, scurrilitas, inclementia, feritas, impietas, irreligio, luxuria, & alia multa; hinc eorum damna, detrimenta, malaque; præterea, vt optimè calleat cuiuscunque ætatis mores, adolescẽtum, iuuenum, vi-

rorum,

rorum, senum, nobilium, plebeiorum, potentũ, principum, puellarum, fęminarum, mulierum, matronarum, vxorum, coniugumque affectiones, atque proprietates; optimè teneat præterea, quæ sint munera filiorum, quæ parentum, quæ dominorum, quæ seruorum, quæ subditorum, quæ Principum, quæ Regum, quæ Ducum, quæ Rerum publicarum, quæ militum, quæ Ciuium, quæ iudicum, quæ magistratuũ, & quæ aliorum; vt nihil eum fugiat, quod pertinere possit ad res politicas, ad populorum Regimina, ad leges, ad consultationes, ad iura vtriusque temporis & pacis, & belli; vt tandem sciat, quid cum laude fuerit susceptum, quid contra; vt contexendo suã Historiam, suis locis generosa facta commendet, & degeneres animos vituperet, damnetque; quare omnino erit necessarium, vt in huiusmodi Philosophiæ parte plurimum temporis posuerit.

Quinto, vt Cosmographiam, Geographiam, Topographiam, Hydrographiam, *& Cronologiã optimè intelligat, vt videlicet descriptionem corporum cęlestium, regiones elementorum, descriptiones terræ, Zonas eiusdem frigidas, temperatas, atque torridas, partes Mundi, Prouincias, climata, locorum interualla, maria, fluminaque, Insulas, peninsulas, portus, promontoria, montes insigniores, scopulos, & cum omnium locorum descriptiones, tum illius Prouinciæ, de qua sermo fiat in* Historia; *sciat temporum vicissitudines, stellarum vim, influentiarumque uirtutem, portentorum signa, prodigiorumque aspectum, vt pręcognoscat cuncta Diuina prouidentia gubernari, atque regi; hanc verò facultatem ita*

necessariam esse duco Historiographo, vt, si ea fuerit priuatus, veluti cęcus per terrarum orbem oberrabit.

Sexto, vt orbem terrarum peragrauerit, multa viderit, multa notauerit, gentium mores, instituta, leges, rationes, caussas, metropolitanas ciuitates, sedes Regales, emporia vniuersalia, publicas nundinas, iura bellorum, iura pacis, præsidia diuersa, varia armorum genera, varias castrametationes, uaria ædificia, uarios ritus, uarias cæremonias, uariā religionem, varium uictum, uaria indumenta, & alia, quæ maxime iuuant pro rerū opportunitate ad Historiam conscribendam; quæ si uiderit, & inspectarit, & si non omnia loca, saltem præcipua creuerit, ei maximo commodo, ornamentoq; illa erunt ad antiquitatem intelligendam, & ad noua aperienda; secus enim nobilissima parte, quæ in Historico desiderabitur; fuerit destitutus.

Septimo, vt sit homo bene morigeratus, optimè institutus, bene compositus, probus, optimus, religionis amator, & omnium uirtutum cultor; non enim facile fieri poterit, vt quis cæterorum errata damnet, vitiaque vituperet, ac impia execretur, si eadē uitiorum labe, improbitatis, scelerum, & irreligionis macula fuerit contaminatus, & notatus; vt prętercam fidem eius Historiæ non parum infirmari, dilacerari, atque abrogari; nam non facile adduci possumus, ut ad eum, ueluti ad ueritatis oraculum in rebus incertis confugiamus, si uitiis immersum fuisse agnouerimus; probus sit igitur Historicus; ut probitatis nota suam corroboret Historiam.

Octauo,

Octauo, ut per diuersa loca suos habeat paratos obseruatores, qui diligenter, fideliterque, quæ fuerint gesta cum tempore pacis, tum belli, tum apud Populum, tumque apud Principes, transcribant, et transmittant ad eum, qui apud se, ueluti in ærario ueritatis, omnia conseruabit, & suo tempore limabit, expoliet, & suis aptabit locis, sedibusque; non enim bene sentit ille, qui in scribendis Regum, Principum, Ducum, Rerumq; publicarum gestis auram tantùm popularem sequitur, quasi facta fortunæ, & casus notans, & describens; nam iste nomine ipsius Historiæ ignarus esse clare apparet; Historicus enim à nomine Græco nomen suum habet, quod latine reddi potest uidens, quasi, quæ ipse scripserit, propriis oculis uiderit, & notarit, ut fides magis firmetur sibi.

Nono, ut posthabitas habeat singulas animi perturbationes, dum aggreditur hominum facta scribenda, non spe lucri, non pollicitationibus, non largitionibus, non odio, non ira, non uindicta, & non alia quauis animi caligine; sed, ut bono publico consulatur, lectores ad uirtutem inflammentur, & a uitijs arceantur; ut uirtus commendetur, consignetur-que monumentis, immortalitatique, & uitia iustissime à Diuina ira punita in exemplum apponantur ad uitanda crimina.

Decimo tandem, ut potentum animos, Principumque beneuolentiam familiariter sibi conciliet, ut facile ad eos habeat aditus; ut hinc facile rerum gestarum ueritatem sibi haurire possit; raro enim accidit, ut uulgo iactentur, quæ sunt magnorũ Prin-

cipum consilia, fœdera, conspirationes, & alia, quæ nobis sternere uiam ad rerum ueritatem aperiendã possunt; non tamen ita uolumus magnos reges sectari, & in eorum consuetudinem irrepere, ut in cõscribendis ipsorum gestis amoris ergò a ueritatis studio recedat; propterea optimè consulitur, ut Historicus non sit omnino intimus, & familiaris Principibus, nec omnino ab eorum consuetudine alienus; ut etiam conducet non esse plebeium, & obscuro genere ortum, nec etiam omnino primarium in Ciuitate, & principem, nec etiam fortunæ bonis ita spoliatum, ut aliorum opibus indigeat; si enim fuerit uir plebeius, uel nugatoria narrabit, uel Historici munera cum dignitate sustinere non poterit; si uerò Ciuitatis Princeps fuerit, aut primarius, aut omnino aulicus, ut magnatibus arrideat, assentetur non raro a ueritate procul aberit; si pauperrima fuerit fortuna, eius fides in suspicionem ueniet; quãdoquidem auri uis sæpe facit falsa canere, & impia facta celari; quare Historicus uirtutem ducem, & comitem fortunam in bonis habere debet; Clarissimum sane hisce omnibus notis, quas antea in Historico annumerauimus, de Paulo Iouio potest esse exẽplum; qui optimo ingenio à natura à teneris usque annis bonas coluit artes, quascunque doctrinarum facultates summis laboribus, & uigiliis sibi comparauit; grauissimum dicendi genus ex probatissimis auctoribus, tum Græcis, tumque latinis familiare habuit; quicquid in uiris disertissimis, eloquentissimisq; ex omni antiquitate præclarum, magnificũq; inter legendum animaduertit, sibi proponendũ, imitandum-

tandumq; putauit: eloquẽtia ita floruit, ut etiã eius æmuli, inuidique ei non grauate cederent: Cosmographiam non solum peritissime sciuit, sed etiam eiusdẽ opus in studiosorum commodũ summo labore cõponere fuit aggressus, ꝙ integrũ ad nos peruenisset, nisi immatura morte fuißet præoccupatus; in reliquis vero disciplinis non solum sapientissimũ de illis haberet iudiciũ, & de difficillimis rebus dijudicare posset; sed etiam earundem cultores, professoresque vnicè adamarit, tutatusque sit propriis opibus; quin potius viris litteratis, magnisque Ducibus, fortissimisque viris ita fauit, vt ipsis mortuis eorundem effigies, imagines, simulacraque ex omni antiquitate ingentibus expensis in suum Musęum transtulerit, accommodaritque; Principum familiaritatem, beneuolentiamque morum integritate, doctrinæ, sapientiæque laude ita sibi parauit, vt suo tempore illis fuerit carissimus; veritatis studium cũ summa prudentia ita coniunxit, vt, quæ ad virtutem spectarent, magnificentissimis extolleret laudibus; vt bonos ad virtutis studium alliceret: quæ vero vituperanda, nec omnino taceret, nec omnino propalaret; vt, qui homines ad malum sint propensiores; in uitis describendis virorum Illustrium Plutarchum sibi proposuit imitandum, quem in multis æquauit, & in multis palmæ dubium reliquit; duo Historiarum conscripsit volumina, ita omni genere doctrinę referta, & ornate explicata; vt breui tempore omnibus Europæ linguis translata, omnibus populis, & gentibus grata, iucundaque innotuerint; in quibus dicendi genus sententiosum commiscuit, sapienter dicta no

tauit, prudenter, & fortiter gesta commendauit, impia facta vituperauit, loca, tempora, caussasque assignauit, pulcherrimas rerum descriptiones apposuit, bellorum occasiones, conspirationes, tumultus, exercitus, præsidia, conatus, castramentationes, prælia, clades, & reliqua ita graphicè depinxit, vt videatur omnia, et singula ob oculos lectorum posuiße; merito igitur, cum medicus eßet, Historiæ *laude clarus apud omnes nationes merito suo fuit; & uel mortuus in tumulo his versibus summa eius ingenij laude fuit commendatus.*

Heu iacet hic Iouius Romanæ gloriæ linguæ;
Par cui non Crispus, non Patauinus erat.

De præceptis ad egregia facta transferenda in Historiam.

Cap. IV.

C*Vm Historia, quæ suscipitur scribenda, versetur vel in actione vna, vel in multiplici, vel in dictis Principũ, mulierum, & virorum illustrium, & reliquorum, vel in aliqua Prouincia; vel Regno, aut tandem in totius orbis terrarum vniuersali comprehensione, operæpretium erit post tradita præcepta de* Historico *instituendo aperire, qua ratione se se gerere debeat, in prosequendis rebus gestis, quę per se ipsum monumentis sint mandandæ, & memoriæ prodendæ; & primum quidem de vna actione describenda verba faciemus, quæ etiam aptari poterunt Historiæ, quę multas, & diuersi generis prosequatur*

tur actiones; reliqua verò inferius distincte tractabimus.

Cum igitur actionem circunstent, multa, vel vt necessaria, vel, vt antecedentia, vel, ut concomitantia, vel, vt consequentia, vel, vt adiuuantia, vel, vt perficientia, vel, ut quoquo modo aliter ad ipsā spectantia; nec omnia sibi proponat Historiographus, est opus, ut actionis initiū progressum, & finem optimum prosequatur, ne, veluti monstrum mutilam reddat suam Historiam; proptèrea animaduertat in actione considerari, agens, quod opus molitur, cum eoque veniunt consideranda instrumenta, auxilia, fautores, adiutores, auxiliatores, consultores, & alij; præterea ex parte agentis cōsideratur, quæ caussa ipsum ad agendum huiusmodi opus impulerit; quę multiplex esse potest, vel necessitas, vel impulsus, uel propria voluntas, vel ambitus, vel ęmulatio, vel amor, vel odium, vel ira, vel habitus bonus, vel malus, vel intemperantia, vel auaritia, & huiusmodi: deinde consideratur tempus, sub quo actio paratùr, & peragitur; quod potest eße multum, diuturnnm, vel breue; vel complectens multos annos, multos mēses, & huiusmodi, in quo circunstantiæ multæ veniunt expendendę, ut, quo seculo, qua ętate, quo rerum statu, qua opportunitate, vel tempore bèlli, uel pacis, vel noctis, vel diei, vel calamitosi, uel optimę annonę, vel summa rerum penuria, uel uere, vel æstate, vel autumno, vel Hyeme, & huiusmodi. Deinceps in eadem actione, spectandus est locus, in quo suscepta sit actio; & ad hanc circunstantiam consideranda sunt multa, vt, in qua Prouincia, vel in Asia, uel

in

in Aphrica, vel in Europa, vel in Germania, uel in Hispania, uel in Italia, uel in Piceno, uel in Macedonia, uel in Phrygia, uel in Prusia, uel in Pamphilia, uel in Caria, & in aliis; item uel in planitie, uel in Valle, uel in loco montano, uel in montium angustiis, uel in mare, uel in flumine, uel in terra, uel in Ciuitate, uel in Metropoli, uel in Regno, uel in Oriente, uel in Occidente, uel in Meridie, uel in Septentrione, & huiusmodi: ponderatur etiam materia, in quã ipsa actio dirigitur, & potest esse uel turris, uel pagus, uel Oppidum, uel Ciuitas, uel Regnum, uel Aerarium, & eiusmodi, quę in actionem magnorũ Principum, Ducumque cadere solent: modus etiam spectatur, quo uel prudenter, uel animosè, uel impudenter, uel timide, uel fortiter, uel temperate, uel iuste, uel inique, uel religiose, uel impie, uel humaniter, uel crudeliter, uel uigilanter, uel oscitanter, uel liberaliter, uel auare, uel ambitiose, uel humiliter, uel fideliter, uel dolose, uel præceps, uel cunctanter, uel tempestiue, uel intempestiue, uel docte, uel ignare, uel solerter, uel remiße, uel neruose, uel infirme, uel constanter, uel desperate, uel bene, uel male tandem actio fuerit facta. Finis tandem expendi solet, quo uidelicet consilio, quò spectaret agens, ad occupandum uidelicet alterius Regnum, uel tyrãnidem exercendam, uel ad explendam animi libidinem, uel ad comprimendam insolentum audaciam, uel ad deprimendam Barbarorum insolentiam, uel ad Patriam, uel ad augendum Imperium, uel tandem ad conseruandam religionem, & huiusmodi; Quare Historiographus *in actione describenda uiderit diligenter,*

qui

qui fuerit agẽns primarius, cuius auxiliatores, quę media, quę necessitas, quæ origo, quę caussa, quæ materia, qui modus, qui finis, qui locus, quod tempus, & huiusmodi, quibus consideratis, suo loco, & tempore sapienter dicta, prudenterque excogitata notet, uirtutum facta magnificentissimis laudibus extollat; uitiorum nefanda quęque prudenter uituperet: personarum, locorum', & aliarum rerum opportunas deligat descriptiones, dicendi genus obseruet purum, & pro rerum qualitate uehemens, & neruosum, & tenue, & remißum seruet, sentẽtias graues, acutasque pro opportunitate misceat: certa pro certis, dubia pro dubiis, & uaria pro uariis afferat, caußas rerum, consilia, origines, progressus, et euentum adaperiat, insistat veritati, aßentationemque fugiat.

De Historiæ præceptis, quæ in virorum illustrium vitis describendis versatur.

Cap. V.

QVI virorum illustrium, mulierumque clarissimarum uitas scribendas suscipiunt, pręclarissimum Plutarchi exemplum sibi proponere deberent imitandum; qui eos tantum uiros sua uoluit esse commendatos Historia, qui uel fortitudinis laude, uel doctrinæ encomiis, uel ingenii celebritate, uel Imperii amplitudine, uel animi generositate, uel aliqua alia re pręclara gesta, editaque in Patrię, religionisque commodum suo tempore claruerunt;

ruerunt; nec enim de obscuris ingeniis, deque uiris omni animi ornamento abiectis, atque destitutis sermonem institui Historicum decet, qui bonorum exemplo, malorumque pœna prodesse uult humanæ societati. Quod si uerò contingat aliquando, ut de facinoribus malis inter scribendum Historicus loqui cogatur: non tamen mala proponit scelera, ut commendet, sed, ut uituperet, doceatque ex iusto Dei iudicio pęna irrogata esse uitanda, & non imitanda. Vt uero iam pauca dicamus de conscribenda uirorum illustrium Historia: cum assumit alicuius uiri illustris uitam exprimendam, consignandamque litteris, totum eius uitæ curriculum, ueluti in Epitomē redactum, sibi proponat ante oculos, est necesse: in quo intuebitur, quid laude dignū, quid commendandum, quid præclare gestū, & quid summopere sit dignum Historia: in quo etiam tria potissimum spectabit, quædam ante ortum, quædam in ortu, quædam post ortum, quædā in obitu, & quædam post obitum: ante ortum quæ eum præcesserūt, uel signa, uel prodigia: necnon maiores, & parentes, qui eum genuerunt, nobilitatis genus, maiorum decus, fortitudo, amplitudo, generositas, munera, dignitates, memoria, spectata uita, & huiusmodi: in ortu Patria, hinc eius nobilitas, antiquitas, & Imperium: item priuata, communisque lætitia, concepta spes de futuris commodis, & huiusmodi: post ortum optima indoles, ingenii acumen, optima sensus exercitatio, bona corporis habitudo, iucundus aspectus, integra forma, optima educatio, disciplinæ studium, preceptores clari, mira in retinendo memoria,

moria, mirus in percipiendo intellectus, elegans ingenium ad omnes bonas artes, virtutum aquisitio, disciplinarum progreßus, iuuentutis labores, summa honorum cupiditas, vehemẽs in Patriam amor, grauis in conseruando honore vigilia, certa in Deũ religio, prudens amicitiæ studium, honores in ætate virili sibi ex virtute parati, munera, quibus castè, & integerrimè fuerit perfunctus; quæ viriliter, quæ magnificè, quæ fortiter, quæ tolerãter, quæ animosè, quæ temperatè, quæ iustè, quæ magnanimè, quęque sapienter, atque religiosè in sua acta vita lęgerit; quæ virtutis exempla posteritati reliquerit, prolem quomodo instituendam diligentissime curauerit, quæ patrimonia reliquerit, & huiusmodi spectantur; ante obitum, quæ patienter sustinuerit, quæ signa religionis demonstrarit, quam animosè mortẽ sit complexus, quamque religiosè animam fuderit: post obitum, quæ męstitię signa, quæ prodigia, quę portenta, quam vniuersalis luctus, quæ lachrymarum uis, quo dolore Populus perculsus, quę encomia decantata, quæ Epitaphia descripta, quæ statuæ erectæ, quæ sepulchra constructa, quæ monumenta magnificentissimo apparatu signata, quæ funera cultu Regio edita, & alia multa, quæ ad laudem uirorum illustrium obseruari solent à uiris doctissimis; vt eorum uirtus digne sit prodita monumentis; in quibus prosequendis Historicus ornatiora proponet commendanda, vt magis uirtutis exempla lectorum animos ad bona studia inflamment; corporis descriptionem (si fieri poterit) habebit, dicta sapienter extollet, facta egregia circumstantijs suis collustrabit,

bit, in utraque fortuna prudentiam aperiet, & omnia diligenter expendet, quæ maximè ad generosorum hominum gloriam conducere possunt; exempla cæterorum uirorum quandoque admiscebit, eorumdem inter se collationem habebit, similitudinibus, contrariorumque conglobatione suam decorabit Historiam, *ut iucundior lectoribus sit, tum ex rebus ipsis, tum ex uarietate, tum ex sententijs, tum ex genere dicendi, tumque ex ordine: quę omnia non erunt difficillima, si doctissimorum uirorum, qui in huiusmodi genere fuerint uersati, exempla potiora deliget imitanda.*

De Historiæ vniuersalis præceptis.

Cap. VI.

C*Vm antea pręcepta* Historię, *quę vel in particulari actione, vel in multiplici, vel in virorum illustrium uitis uersatur, breui oratione explicuerimus: consequens est, vt uniuersalis* Historię, *quę omnium difficillima est, pręcepta, & canones ad optime cõscribendam oratione nostra prosequamur. Vniuersalis uerò Historia ea dicitur, quę uel alicuius Ciuitatis, vel alicuius Regni, uel alicuius Prouinciæ, vel totius orbis terrarum potiora gesta explicat: multa enim sunt, quę unaquaque harum* Historiarum *comprehendit: ideoque uniuersalis dici potest; Verum, vt rem ipsam aggrediamur: dicimus primum eum, qui huiusmodi opus tractandum suscipit, magnum sanè moliri argumentum, difficil-*

limum-

limumque aggredi factum: quod quidem planū fiet his, qui aliquo rerum vsu in rebus humanis ducantur: si namque veritatem sæpius rerum difficillimam habent vicini ad vicinos, proximi ad proximos, accolæ cum habitatoribus, et Oppidani cum Oppidanis: quid censebimus, quæso euenturum illis, qui ex longissima rerum serie, ex vetustissima antiquorum memoria, ex priscis sęculorum monumētis, imo ex tenebris, ambagibusque mille demersis, ex interruptis seculis, ex interpolatis memorijs, ex diuersis auctorum opinionibus, & ex laceratis Imperijs veritatem rerum cęteris proponere, & compilare attentant? nec propterea volumus homines studiosos à tam pręclaro studio deterreri, remoueriq; quin potius illis maiorem paramus laudem, si hoc inscriptionis genere ita elaborauerint, vt, quod difficillimum sit, elegantissime effinxerint, & summa ingenij laude cum corporis laboribus ad perfectionem adduxerint. Non defuerunt viri grauissimi, sapientissimi, disertissimique, qui æternam, immortalemque ex hoc studio sibi, posterisq; suis pepererunt gloriam: testantur Appiani, Taciti, Liuij, Diones, Diodori, & alii innumeri: quare, vt de re difficillima facilia, (quoad fieri poterit) aperiemus præcepta; dicimus.

Primum vniuersalem Historiam scripturus, tā profanam, quam Ecclesiasticam, vel alicuius Regni, vel Ciuitatis, vel totius Orbis ad sua tempora vsque: animaduertat, & animo concipiat omnia originem aliquam habuisse, medium, augmentum, declinationem, mutationem, certum tempus, certum locum,

cum, certum Situm, & certum finem: proptereaq; est illi opus, vt omnium rerum, quę ad suam institutionem referri poßunt, certam congeriem, & quãdam communem Syluã ante oculos habeat, ex qua, veluti ex Thesauro omnium rerum ditissimo, omnia rerum argumenta ad scribendum depromat, & certis sedibus disponat, atque locet.

Secundo, vt Chronicon omnium temporum, in quibus res euenerint, vel ortę sint, vel gestę, vel excogitatę, vel egregiè factę, vel male commissę tandem sint; ad certum computum sibi proponat, vt, quę prius fuerint gesta, &, quę posterius peracta, seruata temporum serie litteris mandentur.

Tertiò, vt sciat id operis posse iuuari ex certa nationum origine, populorum propagatione, ex principiis Monarchiarum, ex temporibus ante lacerata Imperia, in Oriente, Occidenteque, ex Mundi ętatibus, ex tempore legis naturę, legis scriptę, legisque gratiæ, ex prophetarum tempore, Patriarcharumque, ante Christi aduentum, & post eum ex certis Ciuitatum principiis, ex conditoribus, & ex longa rerum serie, variisque pro temporum gubernationibus ex certis Historiis longissimè repetitis.

Quartò, vt rerum veritatem, ordinemque certo teneat, nullo alio modo sibi cõparari posse, nisi ex Historijs alias vel manu scriptis, vel mandatis typis, vel ex antiquis lapidib. et monumentis, vel ex aliis antiquitatis fragmẽtis, quibus aliqua veritatis lux nobis in rerũ caligine uersantibus oriri põt; quare omnem ferme antiquitatẽ summis quidẽ laboribus atque vigiliis vertere, atque inuertere, erit opus.

Quin-

Quinto, vt non omnibus humanæ Historiæ *scriptoribus sibi credendum esse arbitretur, sed ipsorũ habendum esse delectum; vt videlicet potius illi deligantur, qui de rebus scripserunt, quibus interfuerunt, quam ij, qui longissimè absuerunt; secundo, vt illi potius èligantur, qui non exteri, sed patritij, & conterranei fuerunt; ipsi enim, veluti præsentes, & patriarum mores, & instituta, & leges, & facta, & occasiones, & mutationes, & rerum vicissitudines, & varia Imperia, & varios exitus rerum, & omnia propriorum Principum dicta, facta, gestaque ad rerum veritatem facilius inuestigarè, & intelligerè potuerunt: Tertio, vt doctiores, eloquentiores, & studiosores in studio veritatis potius proponantur, quàm secus animi dotibus affecti; verisimile enim videtur eße homines, qui summa ingenij, doctrinæque laude, ac morum integritate conspicui fuerunt, summam adhibuiße diligentiam, omnique conatu conasse, vt vera, probabilioraque in suas conferrent* Historias; *Quare etiam mos est apud eos certissimus, vt non solum factorum, sed etiam occasionum, atque consiliorum caußas, atque rationes afferant, quibus homines commoti ea præstiterint: Quarto, vt ex illis continuata fiat* Historia; *multi enim fecerunt* Historias *rerum vsque ad sua tempora; proptereaque post ea tempora qui scripserint, sunt consulendi; vt tota, & completa fiat Historia vsque ad præsentia tempora.*

Sexto, vt tandem animaduertat Scriptores, qui vel de Patriæ propriis, vel de suis principibus Historiam contexerunt, sæpius, vt Patrios ritus, ve-

tustissimamque rerum originem, & antiquitatis nobilitatem, & suorum Principum præstantiam, dignitatem, fortitudinem, atque animi celsitudinem summis laudibus extolleret; (quisque enim propria commendare affectat) multa miscere solere, quæ vel minus probabilia, vel minus credibilia, vel minus vera, vel certe dubia esse possunt; quare opus valde laboriosum esse videtur ad veritatem hauriẽdam ex huiusmodi Historijs; quare nec omnino credimus omnes scriptores Patrios falsa narrasse, quę præcipuè potiora sint facta, quæ orbi terrarum innotuerunt; sed potius illis aliqua ex parte condonãdum, si quid dixerint magnificentius ad Patriã collustrandam, atque ad proprios Principes laudibus decorandos; quæ enim sunt Patriæ laudes, sunt & Ciuium; & quæ Principum sunt & Subiectorum. Verum, vt id mali reparetur, vt in grauioribus rebus veritas nobis emergat; erit videndum, si quis propinquus; & ex aduersaria parte scripserit; sic enim videbimus, sint ne errata in essentialibus, vt aiunt Philosophi, aut in his, quæ extrinsecus accidunt.

Septimo, vt Regimina populorum, quæ sibi fuerunt succedentia proprio ordine prosequatur, & qui Imperatores suo quoque tempore, & qui orti Principes, & qui mortui, & quæ bella excitata, quando suscepta, quando extincta, quando renouata, quando noua Imperia, quando admiranda, quando monstra, quando prodigia, quando portenta, quando admirãda facta, quando tyrannides exortę, quãdo obtruncatæ, quando tumultuationes in orbe, quã-

do se-

do sedatæ, quando lacerata Imperia, quando insignia terrestria enarrando, maritima admiranda, quando ingenia celeberrima floruerunt, quando mulieres clarissimæ extiterunt, quando bonæ artes fuerunt inuentæ, quando à gloria sua defloruerunt, quã do nouę res ex humana industria ad nos deuenerunt, quando Ciuitates insigniores fuerunt conditæ, quando propria excidia sunt perpessæ, quando vastatæ, & dirutæ fuerunt, quando barbaræ gentes Regna inuaserunt, quando Tyranni Imperia occupauere, quando à propria sede deturbati, quando eiecti, quando occisi, & quando ex omni memoria deleti, quando Respublicæ viguerunt, quæ principia, quæ instituta, quam Imperij amplitudinem habuerunt, quæ bella susceperunt, quas victorias reportarunt, & quando defecerunt, & alia innumera de Ducibus, de Regibus, de Principibus, de bellis, de Prouincijs, de gentium, Populorumque institutis, & moribus; seruata tamen semper temporum serie, & locorum distinctione, & certo rerum ordine fidelissime, & caste in sua vniuersali Hi*storia, vel Regni, vel Ciuitatis signabit.*

Octauo, vt, dum Historiam alicuius Ciuitatis tractandam aggreditur, expendat diligenter eius principia, caussas, conditores, politiæ genus, Imperii progressum, eiusdem mutationes, Populi mores, maiorum instituta, leges, situm, aeris temperiem, aquarum allusiones, flumina præterlabentia, locorum interualla, agrorum fertilitatem, aquarum bonitatem, præsidia, commeatus, militum numerum, genera armorum, animorum amplitudinem, ingeniorum

tustissimamque rerum originem, & antiquitatis nobilitatem, & suorum Principum præstantiam, dignitatem, fortitudinem, atque animi celsitudinem summis laudibus extollerẽt; (quisque enim propria commendare affectat) multa miscere solere, quæ vel minus probabilia, vel minus credibilia, vel minus vera, vel certe dubia esse possunt; quare opus valde laboriosum esse videtur ad veritatem hauriẽdam ex huiusmodi Historÿs; quare nec omnino credimus omnes scriptores Patrios falsa narrasse, quę præcipuè potiora sint facta, quæ orbi terrarum innotuerunt; sed potius illis aliqua ex parte condonãdum, si quid dixerint magnificentius ad Patriã collustrandam, atque ad proprios Principes laudibus decorandos; quæ enim sunt Patriæ laudes, sunt & Ciuium; & quæ Principum sunt & Subiectorum. Verum, vt id mali reparetur, vt in grauioribus rebus veritas nobis emergat; erit videndum, si quis propinquus; & ex aduersaria parte scripserit; sic enim videbimus, sint ne errata in essentialibus, vt aiunt Philosophi, aut in his, quæ extrinsecus accidunt.

Septimo, vt Regimina populorum, quæ sibi fuerunt succedentia proprio ordine prosequatur, & qui Imperatores suo quoque tempore, & qui orti Principes, & qui mortui, & quæ bella excitata, quando suscepta, quando extincta, quando renouata, quando noua Imperia, quando admiranda, quando monstra, quando prodigia, quando portenta, quando admirãda facta, quando tyrannides exortę, quãdo obtruncatæ, quando tumultuationes in orbe, quã-

do se-

do sedatæ, quando lacerata Imperia, quando insignia terrestria enarrando, maritima admiranda, quando ingenia celeberrima floruerunt, quando mulieres clarissimæ extiterunt, quando bonæ artes fuerunt inuentæ, quando à gloria sua defloruerunt, quãdo nouę res ex humana industria ad nos deuenerunt, quando Ciuitates insigniores fuerunt conditæ, quando propria excidia sunt perpessæ, quando vastatæ, & dirutæ fuerunt, quando barbaræ gentes Regna inuaserunt, quando Tyranni Imperia occupauere, quando à propria sede deturbati, quando eiecti, quando occisi, & quando ex omni memoria deleti, quando Respublicæ viguerunt, quæ principia, quæ instituta, quam Imperij amplitudinem habuerunt, quæ bella susceperunt, quas victorias reportarunt, & quando defecerunt, & alia innumera de Ducibus, de Regibus, de Principibus, de bellis, de Prouincijs, de gentium, Populorumque institutis, & moribus; seruata tamen semper temporum serie, & locorum distinctione, & certo rerum ordine fidelissime, & caste in sua vniuersali Hi*storia, vel Regni, vel Ciuitatis signabit.*

Octauo, vt, dum Historiam alicuius Ciuitatis tractandam aggreditur, expendat diligenter eius principia, caussas, conditores, politiæ genus, Imperii progressum, eiusdem mutationes, Populi mores, maiorum instituta, leges, situm, aeris temperiem, aquarum allusiones, flumina præterlabentia, locorum interualla, agrorum fertilitatem, aquarum bonitatem, præsidia, commeatus, militum numerum, genera armorum, animorum amplitudinem, ingeniorum

industriam, annonæ vbertatem, priuatorum diuitias, Principum opulentiam, publica ęraria, auri, argentique pondus, publica vectigalia, quanta, & qua ratione augeri possint, armamentaria quam bene structa, ornataque, frumentaria, & alia permulta, quæ ad perfectam alicuius Ciuitatis originē, amplitudinem, dignitatem, atque munificentiam ostendendam iuuare possunt; videbit diligenter, fuerit ne condita ab incolis, an ab exteris gentibus; aliquo euentu ne, an data opera; à multis ne, an à paucis, an ab vno; à liberis ne, an à subiectis alterius dictionis; à certis ne conditoribus, an à dubiis, quæ instituta prius seruarint, sub quo Regiminis genere prius vixerint, quæ fuerint legum, Imperiiq; mutationes, quæ bella suscepta, quæ gesta, quæque confecta; & sic transeundo per temporum spatia, seculaque varias notabit rerū vicissitudines, varia Regimina ad suum vsq; tempus: quod Historiarum genus multi cum laude de propria Patria susceperunt, atq. explicuerūt. Et tandem ne plura dicamus de Historia conscribenda: quodcumque Historiarum argumentum Historicus explicandum aggredietur: gesta iuxta personarum genus ad veritatem morate explanabit pro rerum euentis graues sententias miscebit, sapientum dicta interponet, dicteria, prouerbiaque ad rem facientia inseret: in rebus grauioribus, cum acciderint prodigia, portenta, et monstra notabit: magis in commendandis præclaris gestis, quam in propalādis vitijs laborabit: fuerit neruosus in dicendo, purus, varius, iucundus, & pro rerum qualitate grauis: in exordiendo vel ab incognito, vel ab aliqua

grau*i*

graui sentèntia, vel à contrariis, uel à simill, uel à caussis, uel à spe, uel ab officio, uel à commodis, uel à fine, & huiusmodi suam docet orationem, magnifice incedet, ad facti narrationem miro artificio descendet, notabit tempus, locum, personam, instrumenta, caussas, media, finem, & singulas facti circunstantias, personarum descriptiones scite compinget; capita sententiis grauibus & finiet, & incipiet, corpus aptissimis dicendi modis conuestiet; membra suis coloribus cum dignitate concinnabit, & omnia orationis luminibus collustrabit; & opus confectum, arte elaboratum; omni ex parte expensum, perpolitumque in studiosorum commodum edat in lucem, vt eius opera, atque industria veritatis custos, quæ ipsa Historia est, non delitescat; sed è tenebris in lucem gentium emergat.

FINIS.

LAVS DEO OPT. MAX.

ET BEATAE MARIAE
semper Virgini;

Et Diuo Thomæ Aquinati.

